

FRANCISCI PATRICII
PANARCHIAS
LIBER DECIMUSNONUS
DE DIVINIS PROPRIETATIBUS.

Hæc de summa Dei Patris, atque ineffabili sapientia dicta sunt. Quæ sane eadem est in Verbo, ac Spiritu eius, alteritate tantum quadam ab illa descendens, in intellectionem atque intellectum, modis quos diximus, conversa. Namque in patre tantum uno, uniter omnia erant. Intellectio, quæ distinctionem secum habet, uniter una esse non poterat. Atque ideo in eum cadere non potuit. In Verbo vero, et Spiritu, ubi distincta iam erant omnia, cadere intellectio potuit, et utrumque intellectum facere. Qui tamen suo modo, alteritate distincti, cum patris sapientia sunt idem, et eadem obeunt munia. Fuit autem sapientia, inter divinas proprietates, a Theologis omnibus, tum Ethnicis, tum Hebræis, tum etiam Christianis connumerata semper. Ultra quam, sunt etiam aliæ eiusdem divinitatis proprietates, celebratæ. Quæ quoniam ad prima rerum principia pertinent, inter Panarchias tractatus, non est eis locus vacuus relinquendus. Sunt ergo aut omnes, aut præcipuæ huc vocandæ, et perpendendæ. Igitur dicimus, eas omnes toti paterno profundo, hoc est Patri, Filio, Spirituique, esse communes. A patre quidem incipientes, in Spiritu vero definentes. Patrem autem duobus præcipue nominibus, quasi suis propriis, supra sæpius appellavimus. Unum, Bonum. Quod unum idemque est, nostræ cognitionis modo, duabus quasi notis nobis distinguentes. A duabus hisce, proprietates omnes, de quibus modo agimus, quasi in duos ordines derivantur. Utrumque ordinem consideremus, et pro virili expediamus. Igitur, quia unum illud, Pater Deus, non nisi unum est, simplicissimum esse, est necesse. Simplicitas hæc, simul cum unitate ab uno genita, et ab uno procedens, in totum descendit patris profundum, et in omnes, quæ in eo sunt unitates alias, et Ideas. Simplicitas autem hæc, illic nata, illic habitat, quia nulla ibi habitat materia, nulla materialis species, nullum materiale genus, nulla materialis forma, nulla denique materialis qualitas. Neque simplex ea simplicitas est, eo modo, quo naturam simplicem esse dicimus. Natura enim per corpora protenditur: et ad partes eorum, etiam dividitur, et per ea permeat, et eis multas impertit vires: est tamen corporibus simplicior. Commistam nihilominus suam essentiam, cum illorum varietate habet. Excellentior quoque divinorum est simplicitas, quam sit animæ simplicitas. Anima namque uti videbimus loco suo, media quædam est essentia, inter incorporea, et corporea. Atque ideo utrumque attingens, mista est quodam modo ex utrisque. Simplicior etiam ea est simplicitas, quam sit simplicitas intellectuum, qui extra profundum sunt. Est quidem intellectus omnis, essentia indivisibilis, et uniformis. Sed quoniam ad ea, quæ extra se sunt respectum habet, quatenus ea in se, et circa se contemplatur, multitudo est quædam: quæ simplicitatem in eo esse summam, nequaquam finit. Recta autem ratione evenit, ut multiformium genitrix causa, sit simplex. Non enim potest effectus, idem cum causa esse, etiam si ei sit similis. Nam sicuti divisibilium indivisibile est principium, et corporum principium est incorporeum, et mobilium, immobile: sic multiformium, et mistorum, principium uniforme, et simplex esse debet. Talis ergo est simplicitas eius divinitatis, quæ Profundi paterni est propriissima. Si simplicissima illi est simplicitas, proculdubio sequitur, ut eodem semper se habeat modo, tum hyparxi, tum viribus, tum etiam actionibus. Nam si simplicitas ibi est, mistio nullum ibi habebit locum. Si mistio ibi est nulla: nulla etiam ibi est alteratio. Si alteratio nulla, eodem se habent semper modo. Si eodem se habent semper modo, immutabiles ergo semper sunt; neque ibi est quicquam, quod vel recipiant aliunde, vel eis accedat, quod ea mutare queat. Hæc immutabilitas, cœlesti immutabilitate longe est eminentior. Cœlo enim evenire creditur, ut neque suscipiat aliunde, neque ei accedat quicquam, quod ipsum immutet. Id quamvis ita sit, non tamen natura sua, id habet. Corpus enim est, corpus autem omne, per partes prius, deinde toto, sui natura est corruptibile. Si